

Drohiciniensis Soc. Jesu Athenaei Dapes bonorum post [illegible] Martis bellaria ad regalis solii mensam Ioanni Alberto Ser. Polonorum Regi in Orbe Polono appositae.



DAPES
HONORUM
post Scientiarum opsonia
&
cruda Martis bellaria
ad Regalis solij mensam,
JOANNI ALBERTO
Serenissimo Poloniarum Regi
in Orbe Polono appositæ;
Nunc
Prævia Avitæ Crucis
Perillustris Magnifici Domini
JOANNIS
KRASNODĘBSKI
SUBDAPIFERI PODLACHIÆ
Domini ac Mecænatis Munificentissimi
Benedictione
Convivanti spectatoris oculo
ad publicam Theatralis apparatûs mensam
Metagymnastico Dramate
ad delibandum
propositæ.
A Perillustri ac Magnifica Iuventute
Athenæi Drohicinensis Societatis JESU
Anno ad Mensam Crucis discumbentis DEI 1717.
Pridie Calendas Augusti.



Typis Supraslensibus PP. Basilianorum.

IN AVITA
ILLUSTRISSIMÆ
KRASNODĘBSCIANÆ DOMUS
INSIGNIA.



I.

Ferrea mensa dapes Præmisso ponit honorum,
In qua cum sceptris aurea poma capit.
De Solea mensam Tibi struxit Avita propago,
Panes auratos hinc ut honoris edas.

II.

Pro mensa Solea est, Crux est benedictio mensæ,
Patria quam geminant stemmate signa tuo,
Respicit una polum, spectat crux altera terras,
Illa Tuis Ceris ut benedicta forent;
Hinc benedicta manet Dapifer Tua mensa vicissim,
Qua dat honoratas terra polusq; dapes,
In Solea Soles centum Cruce sidus honorum,
Et trabeas centum ter Cruce terra notat.



DEDICATIO.

IN principe Podlachiæ Solo ad meridiantem honorum solem, Illustrissimum scilicet KRASNODĘBSCIANÆ Soleæ orbem, non sine geminatâ Crucis Tuæ benedictione Metagymnasticus Apollo Honorum apponit Dapes, Perillustris Magnifice Domine, Subdapifer Podlachiæ. An enim alibi regiæ mentis portio delicatam expleret orexim honor, aut splendidiùs ad scenicas cœnaret umbras, scientiarum conviviis vivens Ioannis Alberti Regis Poloniarum animus, quàm in augusta nobilissimæ Domus Regia, ubi affulgentibus Illustrissimorum Aboriginum Tuorum Ceris pro Regali Soleam mensa, lautissima laudum tuarum opsonia, millenis condita gratiis, verior ævi nostri Gratiane, apposuisti pro bellariis, ut & delibanti recte factorum lautitias genio, ingenii palatum acueres, & famelicam celebrandi KRASNODĘBSCIANI Nominis mentem pasceres ad Satietatem. Et quidni vulgata per orbem fama avidam in nobis immortalis gloriæ Tuæ satiaret famem, qua in prima ætatis aurora ultimas populorum oras, vel si præceps à populari stylo vindicetur suada, rectiùs dicitur, ora implevisti regum, quasi jam tunc augusto prægustarent labio, quantum olim sub labaro angustiatæ patriæ moveres gustum, dum in ore gladii armatos hostium greges ad mensas regum publicæ saluti civium cæderes apponendos. Antequam tamen crudis Gradivi bellariis sapidam Polono gustui instaurares mensam, propriam prius mentem delicatioribus Sapientiæ epulis inescari voluisti, ut non minùs potens in sermone, quàm in opere spectareris. Sapuit tenero palato erudita animi portio, quam primis eò avidiùs capiebas labris, quo magis ad gustum capacissimo scientiarum capiti accidisset, ita flexanimes eloquentiæ imbibisti fontes, consumatamq; librorum consumpsisti eruditionem, ut etiam in grandiori æ-

tate inter mensarum hilaria, nectarei Tibi amarescerent calices, despe- rent sapidiores dapum cupediæ, nisi potiori eruditarum mentium alimen- to, sapientiæ sale condirentur. Advertit in Te Subdapifer dignissime non vulgare dapum condimentum Sapientum Patria, Terra Drohicinensis, hinc ne quidquam insulsi Tuæ inferretur mensæ, suffragantium in hoc non sine animi gustu consensere mentes, ut uni Tibi distribuenda in omnes committeretur salis portio, non ignari, singulari prudentiæ Tuæ mensurâ ita singulis proportionandam fore, ne ullus sapientissimam fuisse diffite- retur. Quid enim non sapientissimum prodire poterat ex Illustrissima KRASNODEBSCIORUM Domo, quam ipsa ædificasse videtur Sapien- tia, tot in illa ponens columnas, quot in ruinam euntis Patriæ firma- vit columina, nemo hic non Succollator vicinæ polo Poloniæ Atlas, nemo viribus non suppar Atlanti Alcides, qui se solo sine secun- dantibus humeris Sarmaticum fulciat Cælum. statuit præterea eadem animorum Regina, in hac augusta Scientiarum Regia, ceu trium- phantis eruditionis Capitolio mensam, ad quam quotquot statistarum pedem promoverunt capita, tot Statores credebantur epulari Ioves, qui nec capitis, nec veritatis læsâ integritate, toties diviniorem Ca- pitali partu edidere Minervam, quoties ad tutandam communis bo- ni spartam, optima consilia protulerunt. Prægustatô itaq;, in Podla- chiæ Musarum Augustali eruditô ad Cordis satietatem cibô, non rudia actutum sapere cæpisti bellaria, dum ad cruda bellorum convivia heroo Gradivi ferro grandior Tibi acueretur appetitus, ac si vel i- psius Sapientiæ minus saperent opsonia, nisi ab hostili etiam sangui- ne acciperent condimentum. Quare accessisti ad mensam fortium Subdapifer fortissime, non ut ab heroicis Tuis ausibus degenerantium more, Lyæo regificis super descripta mensis prælia pingeres, sed Mar- tiam expleturus orexim, cæsa victore gladio hostium capita, calcatas triumphali pede interfectorum cervices pro primo & non feriali po- poscisti ferculo, nihil festivius Tuis ostendens accidisse votis, quàm non feriatas ab infestatione ferire copias, nihil imperterrito pectori solennius, quàm insolenti hostilium agminum cæde profusum sitienti Telluri propinare cruorem, nihil deniq; Mavortijs innutrito bolis palato testatus arrisisse sapidius, quàm fulminali balistâ expugnatis mænium fragmentis infractum Polonæ libertatis robur alere, adeò, ut illa solum festa Tibi diceretur feria, quæ feralibus Othomanidum turmis fuisset infesta, illas candido notatas sole prædicares horas, qui- bus Orientali Lunæ ecclypsim, Scythico Orienti occasum, cæterisq; Sar- maticam Maiestatem obscurantibus potentijs atrum à funerum umbris induxisses diem, illos veterum Romanorum exemplo annos, aureo signares clavo, quos vibrato ferro hostibus ademptos perennaturæ Pa- triæ, Tuiq; Nominis immortalitati addidisses. Præterea ad bellicæ fortitudinis Tuæ elogium non leve laudis accedit argumentum, quod Martios scilicet ardores ita clementiæ Tuæ umbra noveris attempe- rare, ut quanto gravior hostium cervicibus eras, tanto lenior appare-

res civibus, dum nec panem bene-meritorum extra paternam sumere voluisti mensam, gloriosius triumphi stipendium arbitratus, propria dare, quàm aliena accipere. Felix statio illa, cui hybernus obtigisti hospes, quia plenariâ graticrum Tuarum indulgentiâ à Te JOANNE gratissimo beandam se se non ignorabat: beata illa domûs limina, quæ redeuntium è Gradivi arena plantarum lambebant pulverem, ubiq; cum summa animi voluptate salutabaris, unde non sine maximo incolarum mærore ante abieras, sequebantur abeuntem manantes ab oculis lachrymæ, non quas injuriati animi expressit dolor, sed longius Tui retinendi amor eliciebat. Apprecabantur fortunatissimos bellicæ expeditionis successus, ut magnis onustum trophæis gloriosius reducem exciperent, Patriæ Servatori festivum occinerent epinicion, & in cordium penetralibus arcum Triumphatori erigerent triumphalem. Nec vana apprecantis populi fuisse vota toties benè ominatus docuit eventus: nunquam enim ex Martiali excedebas campo, nisi Castrensibus redimitus laureis, nec aliter inter Servatos Patriæ Cives comparebas, quàm Civicâ coronatus, ita nempe utrobiq; vincere, & victoria uti felicior sciveras Annibal, ut & armis hostes subjugatos, & captivatos beneficentiâ Civium animos, quacunq; incessisti, duceres in triumphum. Ergo triumphalibus satiatus palmis, quas mirabili heroicæ virtutis dexteritate, & palmari præripueras ingenij dextera, ad signatam Patrijs Crucibus mensam solenni Avitæ Soleæ Tuæ procedebas galaxia, eò carior in Paterna Domo futurus Hospes, quo clariùs Majorum Tuorum Maxime Nepos augustos Aboriginum splendores rectè-factorum gloriâ illustrasti, & in nondum benè terso ab hostili cruore gladio grandiorem purpuratæ dignitatis Erythram KRASNODĘBSCIANI Sanguinis Rubiconi præsagiebas infundendam. Si tamen majus vastissimò Prosapiæ Eridano, quo vel ipsa honorum magnitudo minor est, quidquam affundi potuit, quod ex condigno dimanantium in Patriam meritorum coronaret fontem, vel auriferos confluentium familiarum Pactolos exæquaret, certè purpuratæ Senatorum erubescunt trabeæ, pallent auratæ Ducum clavæ, elatæ Optimatum curules etiam in maxima minores sibi videntur maiestate, quod nihil sago invictissimæ, togâ potentissimæ Domui Tuæ ad grandium gestorum inveherent æqualitatem. Quid enim KRASNODĘBSCIANA Domus est, nisi Virtutis Regia, fortitudinis Sacrarium, tot religione præstantes numerans Numas, quot clarissimos bello recolit Numantinos. Recense, quisquis KRASNODĘBSCIANAM scrutari volueris Maiestatem, magna imò æqualia maximis DUNINORUM, OSSOLINSCIORUM, WĄSOWICIORUM, ROZWADOWSCIORUM, CIECISZEWSCIORUM, OBORSCIORUM, DOMASZOWSCIORUM, OLDAKOWIORUM, WODZINSCIORUM, Cæterorumq; venerabundo silentio inter angustias paginæ celebrandorum Nomina, & totidem Poloni poli a-

dora Numina, infractos Patriæ Atlantes venerare. Quos inter advertes illustrius attulisse ornamentum, non funeri sed nominis immortalitati præcinentes olores, qui cum Heroum Altrice è DUNINIANO Alveo, in hanc Heroici Sanguinis Piscariam transfretarunt. Erige adhuc è Podlachiæ solo ad Solis æmulum Sarmatiæ solium scrutatricem avitæ gloriæ pupillam, & videbis in Regio SOBIESCIORUM Scuto illam nidulari Columbam, quæ KRASNODĘBSCIANIS illata ædibus, bellatrices progeneraret Aquilas, seris posterorum nepotibus pro principali Genesis linea regale Sceptrum ostensuras. Auxit insuper tam illustrem Prosapiæ splendorem claritate generis, & Sobolescentis virtutis foecunditate non sterilis Elisabeth Perillustris Magnifica Consors Tua Subdapifer Optime, quam electam ex millibus socialis vitæ delegisti Comitem, pulchram hæc heroinarum Pulcheria & ESTKORUM prognata Sangvine Esther à FRANKIENBERKIANIS ducit originem Comitibus, magnoq; Luminarium comitatu, quem FRANKIENBERKIANÆ, ESTKOWIANÆ, ZAWADZCIANÆ, DERPOWSCIANÆ, FREZERANÆ, NIWICCIANÆ, ELZANOWSCIANÆ, ORNOWSCIANÆ Sexcentæq; aliæ adornarant Ceræ, Tua implevit Atria, majori securis temporibus eadem illustratura lumine, dum ad paterni Cordis solatium, ad Patriæ fideiq; defensionem, ad firmandam KRASNODĘBSCIANI Nominis immortalitatem illam Tibi IOANNES Maxime dabit prolem, qua major hoc ævo non surrexit. Verum non intra hos adhuc gloriæ terminos Tua stetit magnitudo, altius scriptoriæ evolandum pennæ, ne præcipuum laudis prætereat argumentum, scilicet Perillustrem M. D. Genitorem Tuum Terræ Drohicinensis Notarium, qui Consos Consilio, prudentiâ Lycurgos, gravitate Catones, invictâ fortitudine Domitores Orbis superavit Alexandros. Quis enim unquam difficultatum obiectus est nodus, quem accutissimæ mentis acie non solverit, qui in perniciem Patriæ subrepserunt doli, quos spectatæ prudentiæ non detexerit documentis, quis hostilis impetus Poloniam lacessivit, quin illum Augustior hic Iulius Martio non vicerit ferro, & quidem tanta celeritate, ut prius se victum inimicum persentisceret agmen, quàm vibrati fulgorem gladij conspexisset: verè juxta sui etymologiam nominis à DEO positus in ruinam multorum Patriæ & fidei hostium, in civium verò salutem universorum. Et certè non invitè fusos in vita pro bono publico sudores jam in terris rependit polus, dum inter sirios æstus, quibus afflata graveolentiam contrahunt cadavera, etiam post fata ceu vivus gratissimos spirasse odores, ab oculatis perhibetur testibus, luculentum relinquentes testimonium, quàm bonus Christi & Patriæ odor in vivis fuerit, qui tam vivaciter in immortalitatis vestibulo redoleret. Vivit ergo immortale SAMUELIS Nomen, quod in Cæleste Notariâ pennâ inscripsit album, & in recenti viget posterorum memoria, hæret altè gra-

tis

tis impressa animis grandævæ vultûs Maiestas, quibus vel semel illius videndi, vel oracula fundentem audiendi felicitas obtigisset. Enim-verò quod in maximo Filiorum Patre, hoc in non minoribus Patre Filijs venerantur præsentia, in seris posterorum nepotibus futura prædicabunt sæcula. Videt Podlachiæ orbis, videt Regum regnorumq; pupilla Sarmatia, in Te primo Subdapifer meritissime, tum in Natu secundo Paternarum virtutum Hærede facilè primo Perillustri Magnifico Domino CASIMIRO KRASNODĘBSKI Iudice Terrestri Drohicinensi vivam Genitoris imaginem, quam si quis Apelles pingere vellet, Illum poneret pro Idea. Quod si Corona Patris est filius sapiens, tum utiq; ille non tantum regio CASIMIRI nomine, sed etiam digno Regiâ Coronâ Capite Paterna coronavit tempora, siquidem nihil Iustiniani codices, nihil eruditæ juris pandectæ, nihil Politicorum, Chronologorumq; continent volumina, quod memoriæ suæ vastitate non comprehenderit. Tacent Illo loquente Podlachiæ Taciti, Sententiam dicente pro Tribunali togati stupent Manlij, perorantis facundiam purpurati admirantur Tullij, quod dignius unquam majestas meminit sese Polona locutam. Unum inter Coronata Sarmatiæ Capita Iustum Polonus adoravit Orbis Casimirum, in hoc Podlachici Areopagi Arbitro, & æquitatis jure ad Principum purpuras candidato, secundum adorat Lechia, imò primas illi debent ministra Iustitiæ tribunalia, quibus Deputatoriam sæpius inferens dignitatem Iusti cognomentum in memoranda fastis facta commutavit. Non minor Paternæ virtutis Hæres celebratur Perillustris Magnificus Dominus THOMAS KRASNODĘBSKI, Ensifer Owrucensis, qui consignato Avitâ Soleâ ita processit tramite, ut à Maximis Maiorum suorum rectefactis ne ad ungvem discederet; donec in illo præclarè gestorum consisteret termino, in quo & Nominis sui, & KRASNODĘBSCIANÆ gloriæ abyssum geminatis meritorum coronis adimpleret. Paribus incedent passibus Paterni Fraterniq; agnominis Successores MICHAEL & FRANCISCUS, decurrent hæc amplissimi Rubiconis flumina, immensum Illustrissimæ Prosapiæ Oceanum impletura. Implevit usq; ad summum abyssalem nominis altitudinem summa Theologorum & Aquinaticus clarissimi hujus cognomenti Phœbus, ibi in Religioso Divi Dominici subsistens Cælo, ubi cælestes in terris meritæ honores Domui, meridiantem Sanctitatis & Sapientiæ accenderet apricum. Ita scilicet Illustrissimæ Prosapiæ splendor etiam à pullatis Religiosorum umbris encomiorum deducit meridiem, quem ad ultimum non postremè illustravit Patruus Tuus ADAMUS KRASNODĘBSKI maximis in Minima IESU Societate Doctorum laureis, plurimisq; clarus voluminibus, quibus legendam posteritati perennaturæ famæ monumenta inaravit. Hic jam metire Nominis Tui immensitatem, Subdapifer Maxime,

 expende,

expende, quanta fœderatarum familiarum, quanta Paternarum laudum Honori Tuo militent Satellitia, cujus obsequijs, ne & Podlachicus desit Apollo, opsonatorem induit, Dapes Honorum (utinam ad augustæ mentis gustum) appositurus. Regia quidem hæc bellaria sunt, quæ olim in Orbis theatro, nunc in theatrali conspicuus orbita Magno non minor, minori Natu certè maior Alexandro, prælibavit Ioannes, *tamen ne erudito palato Tuo non arrideant, liberalissimis in Minimam IESU Societatem IOANNES Gratiosissime condies gratijs, pro quibus perennem cum suo Athenæo spondet gratitudinem.*

NOMINI ac HONORI TUO.

Obligatissima Residentia
Drohicinensis
Societatis JESU.



ARGUMENTUM.

JOannes Albertus Rex Poloniæ *multam adoleſcentiæ partem Muſis dedicavit, nullum aſſerens dignius Principe otium illo, quod literarum appellamus; é literario pulvere in Militarem digreſſus arenam, cæſô ingenti Tartarorum exercitu utramq; laurum in* uno regni diademate *par Cæſari meruit. Albertus Ines Lechiados part: 3. Crom: de rebus geſtis Pol: lib: 29. & 30. Kojałowicz Hiſt: Lit: part: 2. lib: 5.*

PROLOGUS.

Prothaſis.

J*Nter Scientiæ opſonia & appoſita Martis bellaria Conviva Genius Ioannis Alberti à viduata rege Polonia ad thronum invitatur; cui ad Solium comitante Scientiâ & Marte gradienti præcurrere geſtiens Ambitio, ab obſtante Pallade haſtâ repellitur.*

Apodoſis.

G*Enius Podlachiæ in Illuſtriſſima KRASNODĘBSCIORUM Domo ad Avita Soleæ menſam ſolio dignas oſtendit convivari virtutes, brevi his comitibus, abſq; ambitionis livore in purpurati Honoris regiam appenſo illô Claudiani Monoſtychô* Tam celer aſſiduos explebit curſus honores *auguratur commutandam.*

ACTUS 1mus.

Scena 1ma. Poſt fata Caſimiri Jagellonidæ, Poloniæ Proceres de regni ſucceſſore conſultant, dumq; pars Ioannem Albertum, pars Alexandrum ſuperſtites defuncti Regis filios ſuis ad thronum evehunt votis, Aquila Polona quaſi litem diremptura regium demittit diadema, cum inſcriptione: *Ferat coronam, quod tulit lauros caput.* Hinc omnes Ioannem ſcientiarum laureis inſignem, Regem volunt, ſolo reclamante Alexandro, & Ianuſio Duce Mazoviorum, cum ſuis adhærentibus.

Scena 2da. Alexander licet natu minor, majori tamen cedere neſcius de modo potiundi regni deliberans, audit per refractam à montibus vocem reſponderi: *manus negata libero vinctæ dabunt.* quo conſternatus obvium ſuper hoc conſulit Ianuſium, qui eum bono animo eſſe jubens, de contraria dictum explicat parte, facilè illam conſenſuram dicens, ſi libero, id eſt mero liberaliter vinceretur.

Scena 3tia. Ianuſius magis de ſe quàm de alijs ad ſolium promovendi ſolicitus, in turbido piſcari conſtituit, quare per literas Cearum Tartarorum Ducem ad infeſtandos Poloniæ limites (ut intentis defendendæ Patriæ proceribus faciliùs ad thronum eluctetur) incitat, eiq; in prædam regni competitores deſtinat.

Scena 4ta. Tabellarij paulùm digreſſi offendunt ſenem inter montium cavernas illud Ennodij fragmentum tumbæ inſcribentem, *ſpes medio contecta ſepulchro,* quo territi malè ominatum iter Ioanni denuntiant: Ille furibundus advolans tumbam auferre jubet, necemq; auguri minatur, ni arcanum prodat, hic mortis metu ad magicas confugiens artes involutius, priori tamen æquivalens extorquet oraculum; *ante thronum Dux mille tubam mediantibus imple,* quo augurio in Sententia malè confirmatus cum epiſtola procedere jubet.

Scena 5ta. Ioannes Princeps alienatum à ſe fratris animum revolvens, in varios torquetur affectus, ſed aula ad lætiora animante, abit in bibliothecam, conſveto literarum otio turbatæ mentis procellas diſcuſſurus.

CHORUS.

Prothaſis.

MUndi faſtus tentans Threjiciæ ſupponere Pelion Oſſæ, per quem in honoris Olympum aſcendat, Gigantomachiam in ſubſidium evocat; Hæc lacertos ſublevando oneri parans à Marte proſternitur, faſtuſq; captivatur.

Apodoſis.

HOnor heroica pro DEO & Patria expendens facinora Perilluſtris Magnifici Domini Subdapiferi, perennaturæ monumenta famæ KRASNODĘBSCIANO Nomini erigit coloſſos, ſerioq; tandem licet ſerò toties glorioſum ſui transfugam promittit aſſequendum.

INTERLUDIUM.

ACTUS 2dus.

Scena 1ma. Congregatis denuò proceribus, ut inchoatam finiant electionem, nuntiatur Tartaros in fines regni irrupiſſe, & magnam populo inferre ſtragem; quo audito ab eligendo rege ad defendendam Patriam conſilia vertunt: Dux Ianuſius optimè rerum conſcius, non ad ſolium promovendi ſtudio, ſed periculo vitæ exponendi,

nendi, ſvadet illis Ioannem Principem opponendum, in quem omnes non vanô Coronæ præſagiô animati conſentiunt, & ad hanc legationem obeundam Alexandrum cum eodem Ianuſio eligunt.

Scena 2da. Antequam legatio perficiatur, Ianuſius Alexandro perſvadet in abſentia fratris tempus capiendis procerum animis aptiſſimum fore, quare Alexander venationem inſtitui, & omnia pro futuro convivio apparari mandat.

Scena 3tia. Legatos ſtudia interrumpentes lætus excipiens Ioannes Princeps, libenter pro integritate Patriæ vitam & ſangvinem offert, ſtatimq; militem convocari imperat.

Scena 4ta. Redeuntibus Ianuſio & Alexandro nuntiant venatores Camelum in Sylvis repertum eſſe magnis oneratum theſauris, ad quem capiendum dum invitatus, ſimulata ab iſto animali naturali abhorrentia Ianuſius ire renuit (ſciverat enim ibi Tartarorum latere inſidias) ſolus cum venatoribus accurrens Alexander capitur & abducitur.

Scena 5ta. Ab elapſo è vinculis Tartarorum venatore Captum, neciq; deſtinatum audiens Ioannes Alexandrum ſine mora cum convocatis luſtratisq; copijs hoſtes inſequitur, fratrem morti erepturus.

CHORUS.

Prothaſis.

AMbitio & Dolus in Rubicone retia laxantes, ut tutius in turbido piſcentur, ſupplicant Neptuno, ut quaſſa tridente tumultuetur unda, ſed præter oſſa mortuorum & calvarias extrahunt nihil. Ex altera parte Genius Ioannis Alberti Scientiâ & Marte adjuvantibus in eodem Rubicone mitras principum, Ducum clavas, Sceptra Regum & Coronas comprehendunt.

Apodoſis.

GEnius Poloniæ hæc honorum inſignia KRASNODĘBSCIANO Illuſtriſſimi Sangvinis Rubiconi maximiſq; Perilluſtris Magnifici Domini Subdapiferi in Patriam meritis deberi aſſerens, monet ne deſtinata emeritæ virtuti præmia longiùs retardentur, ſed quantocyus rectèfactorum maieſtas coronetur.

INTERLUDIUM.

ACTUS 3tius.

Scena 1ma. Succedentibus ita dolis, unum adhuc tantum ſibi ſolvendum gloriatur nodum Ianuſius, ſcilicet, ut diſtractos Senatorum animos occultis expugnet machinis, quod ſe facilê effecturum ſperans abit in Senatum.

Scena 2da. Dubium expeditionis eventû præſtolante ſenatu, adeſt Nuntius optimos

optimos belli successus, & literas Ianusij ad Cearum captivum inventas afferens; ex quibus Ianusius tot malorum reus judicatur, induciæ tamen ut se ab objecto purget crimine roganti conceduntur.

Scena 3tia. Machinationes suas patere videns Ianusius, ex nimia apprehensione lethali corripitur morbo, tumbam à mago acceptam ultra non victurus afferri jubet, veramq; agnoscit inscriptionem *Spes medio contecta sepulchro*, Similiter & aulicis versum illum: *ante thronum Dux mille tubam mediantibus imple*, de tumba explicantibus (nam si M litera mille significans in medio dictionis Tuba ponatur, fit tumba) veniam à futuro Rege & offensa Republica rogans moritur.

Scena 4ta Cearus Dux Tartarorum è captivitate profugus, & ad internecionem deletum dolens Exercitum, in furias actus, se ipsum desperabundus perimit.

Scena 5ta. Cogitantibus de adornanda Victori triumphali pompa Senatoribus, supervenit Alexander, jam reducem cum triumpho Ioannem Principem significans, quare omnes uno ore Regem proclamant, Orantiq; Alexandro, ut juxta prædicentis Echus oraculum: *manus negata libero vincta dabunt*, suis manibus Regium Diadema Fratri & servatori suo imponere possit, libenter annuunt.

Scena 6ta. Obviam procedente senatu currus triumphalis deducitur, quo Victor scientiæ & victoriæ laureis redimitus devehitur in solium, ac inter publicos applausus & gratulationes coronatur, verificato Coronæ lemmate. *Ferat Coronam, quod tulit lauros Caput.*

Scena 7ma. Adfertur nuntius Ianusium cum deprecatione Regis ac totius Reipublicæ fatis cessisse, quam quidem defuncto omnes impertiunt, in pænam tamen excitatæ seditionis, Ducatus illius regno adjungitur, in emeritos bello heroas distribuendus.

EPILOGUS.

AD terminales Metagymnastici triumphi columnas Avito Perillustris Magnifici Domini Subdapiferi colligatas insigni subsistens Pallas Drohicinensis in Patriæ columen formandam Podlachiæ Iuventutem ad tam feracem laurearum accendit æmulationem; nec citiùs Herculeum non plus ultra *illis inscribendum monet, quàm arte in Marones, Marte in strenuos Sarmatiæ Marios efformati, & ingenio Illustrissimo Mecænatis honori, & instructo ad bella genio Augusto ex utroq; Cæsaris Nomini condignè didicerint militare: sub cujus modo triumphalibus signis & Victorioso Avitæ Crucis Labaro, pro triumphata in literario Campo ignorantia, laureata promotionis distribuit stipendia.*

Ad
M. D. T. O. M. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem
nec non Sancti Patris Ignatij perpetuum Cultum
ac Venerationem.